

Lælius Socinus¹⁾ an Vadian.*Nürnberg. 1550. Juli 6.*

Versicherung seiner Dankbarkeit. Er gedenkt, sich nach Wittenberg zu begeben.

Ante omnia deo ingentes gratias ago, qui me salvum et incolumem huc perduxit. Tibi deinceps, vir clarissime, agnosco et ingenue fateor me quam plurimum debere, propter hunc vestrum hominem imprimis, qui optime se mecum gessit. Ego vicissim illi præstiti, quod promisi. Si qua alia in re præterea offendi, veniam peto, licet culpę nullius hactenus fuerim conscius. Ad hæc velim, prætorem redderes certum, ipsum tot beneficia in minime ingratum contulisse, quod et sentiet a domino oblata occasione, quam exopto. Ceterum^{a)} hinc solvam, quamprimum comites fidos nactus fuero. Quid futurum, plane ignoro; sed illud quicquid erit, si vixero, curabo meis literis, ut resciscas. Vitenbergę erit mea sedes hac hieme^{b)} tota, si modo conventus Augustanus citius migrare nos non cogat pariter omnes. Dei voluntas fiat et fiet invitis etiam inferorum portis. Norimbergę, 6. Iulii 1550.

Tui observantissimus *Lælius Socinus.*

Inclusas ad dominum Bullingerum perferri curabis ea diligentia, qua soles omnia. Interea si quid literarum videris, quod ad me pertineat, facile ad me transmittere poteris; et voles, non dubito. Omnipotens deus te nobis quam diutissime servet felicissimum^{c)}. Amen.

Raptim. Commodius omnia ex Vitenberga. Iam otii non plus datur.

Modis omnibus clarissimo viro D. Ioachimo Vadiano, plurimum
observando. S. Galli.

a) „Cæt-“. — b) „y“ für „i“. — c) „foel-“.

1) Von *Lælius Socinus* ist nur dieser eine, von Goldast verschleppte Brief an Vadian vorhanden.